

ILLUSTR.<sup>MO</sup> AC REVER.<sup>MO</sup>  
HIPPOLYTO ALDOBRANDINO.  
S. R. E. CARDINALI  
ET SUMMO  
Pœnitentiario.

*Dum elegatione, tua Polonica HIPPO. ALDOBR. quæ tibi fuit honorificentissima redires, et Ferraria esses transiturus, litteris Horatii Caponii, viri integerrimi, atque doctissimi, clientis tui, e Bononia sum admonitus, ut Marcellum Nobilem summæ eruditionis virum, sibi que charissimum, adirem, eumque cognoscerem. Et eo intercessore, te et salutarem, et venerarer. Quod post quam nos adisti, libentissimo præstiti animo. Per humaniter me excepisti. Sed non licuit, humanitate, atque affabilitate tua diutius frui. Una enim tantum nocte, es apud nos moratus. Eas tamen mihi perire nolui. Memoria servavi. Et mihi ipsi in memoriam inde evocavi, te filium Sylvestri Aldobrandini fuisse viri, consilio, et prudentia singulari, Græcarum, Latinarumque litterarum, et iuris utriusque peritissimi, qui leguleiorum barbariem inter primos exornavit. Qui in Repub. summa fuit olim autoritate. Memini quoque te fratrem Ioanem habuisse Card. et Summum Pœnitentiarium, qua dignitate tu quoque nostro tempore, tuis summis meritis, es ornatus. Sed quod meæ erga te observantiæ primum caput est, in memoriam venit, Thomæ fratris tui, humanioribus litteris, et Græcis, et Latinis, et philosophiæ ornatissimi, meo satis diu, Patavii amicitia familiarissime esse usum, et Francisci Serfranciscii, qui tum apud eum vivebat, et si memoria non fallit, te quoque eodem tempore adolescentulum adhuc cognovi. Fratrem tuum postea Romæ, sub Paulo III vidi. Hæc recordatio, animo meo post discessum tuum, semper hæsit. Te semper hac fratris recordatione, mente gessi. Te semper toto animo colui, tibi semper summa sum ominatus. Quid si archani huius, atque animo meo sedentis cultus, testimonium aliquod, ex animo promam in apertum, et studiosis omnibus, nunc viventibus, et qui in posterum sunt victuri proferam quo intelligant, quanta te prosequar reverentia, veneratione quanta. Non solum ob ea quæ supra sunt a me commemorata, verum etiam, ob singulares animi tui virtutes, quæ nominis tui celebritate, non tantum aures meas replevit, sed hominum celebriorum omnium. Cum virtutes nomino, non unius generis intelligo virtutes, sed extra litterati vulgi consuetudinem, eas etiam omnes, quas a natura tulisti tecum; quas continua bonorum morum exercitatione, excoluisti, animumque tuum ornasti. Et quas civilium rerum, patris tui exemplis, rebusque agendis prudentia summa, tibi comparasti. Et quas rerum naturæ cælestium divinarumque contemplatione es assecutus. Et quas nostra schola purgativas, ab affectibus passionibusque animi purgandis nominat. Et quæ his perfectiores sunt, quas animi purgati nuncupant. Tanto enim supra humanas perturbationes, audio animum tuum extulisti, ut fere sanctificatorias attigeris, quas procedente ætate sperandum est ita te tuas facturum, ut per eas, Deum ipsum attingas, eique iungaris. Has tritæ philosophorum schole non agnoscunt. Ex archana veniunt philosophia. Eæ, in te qui operationibus, factisque tuis eas es consecutus, sunt agnoscendæ, sunt celebranda, sed loco, et tempore commodiore. Nunc huiusce rei testificandæ causa, cælestes nostros XIII libros omnes, ab Æthere, usque ad Ærem nomini tuo consacravi, doctrina, autoritateque tua, eos a detractorum protege calumniis, et Marcellus Nobilis tuus, hac in re tibi esto comes, et mihi adiutor.*

Tibi Devotissimus  
Franciscus Patricius.